

nuntiantes, hi non incurrunt pœnam hic inflictam, si probare non possint, nec grave suam damnationem evitare, Thesaur. de Pœnis, verbo *Usurpatio*. cap. II, (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 450.) »

ADNOTATIO XXI.

Lib. III. Decretal. Tit. XVII, de Emptione et conditione, § VII, n. 211; pag. 168.

CIRCA MERCATORUM FALLACIAS.

« Ex duobus decretalibus, cap. I. *Placuit*, et cap. 2, *Ut mensuræ*, hoc titulo, clare patet onus avertendi cauponum aliorumque mercatorum fallacias ad episcoporum curas pertinere; hic enim nomine presbyterorum veniunt episcopi qui olim presbyteri dicebantur, can. 24. *Legimus* distinct. XCIII., can. 5 *Olim*, dist. XCV; prout etiam statuitur in l. I. c. *De episcop. audien.* t. ult. c. *Ut nemini liceat in empt. spec.* ne scilicet necessaria tam peregrinis transeuntibus quam aliis quibuscumque vendeant supra commune pretium, pondera mensurasve adulterando, ita in l. LXII. et l. sequenti D. *ad legem Falcidiam*; et contra facientibus pœnitentiam imponendi, ut in cit. decretali *Ut mensuræ*. Verum hanc curam hodie politicis singularum civitatum iudicibus reliquerunt, ita ut in his rebus, ne ullum quidem ecclesiasticæ jurisdictionis vestigium remanserit. (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 454.) »

ADNOTATIO XXII.

Lib. III. Decret. § Tit. XVIII. De locato et conducto, § I, n. 23; pag. 215.

DE LOCATIONE BONORUM ET JURISDICTIONUM LAICALIUM AD ECCLESIAS SPECTANTIUM.

« Ex constit. Alexandri VII. *In suprema*, 23 april. 1657, prohibentur fieri locationes bonorum Ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, locorum piorum Urbis Romæ consanguineis vel affinis, usque ad tertium gradum, rectorum, gubernatorum, superiorum, etc... curam habentium talium ecclesiarum, nec directe, nec indirecte, sub pœna nullitatis contractuum, amissionis fructuum, emolumentorum inde provenientium et excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ. Si vero pro utilitate dictorum locorum, etc., expediat eas locationes fieri consanguineis et affinis prædictis, fieri debent de consensu capituli, congregationis, etc... respective per secreta suffragia cum duabus ex tribus partibus consentientibus. Quoad capellanos vero, beneficiatos, commendatarios, conservatores, etc., de licentia cardinalis vicarii.

« Item revocanda est constitutio Urbani VIII. *Humanae salutis*, 1 nov. 1625, in qua prohibetur omnis alienatio, emphyteusis, infeudatio, locatio ultra triennium jurisdictionum laicalium, seu locorum jurisdictionalium ad Ecclesias, vel pia loca,

etiam laicalia, spectantium, per universam Italiam tantum, etiamsi essent solita concedi in feudum vel emphyteusim, vel nondum incorporata, vel a laicis usurpata, vel nondum devoluta. Item prohibetur remissio caducitatis, et non obstante privilegio quocumque Romani Pontificis, aut consuetudine etiam immemorabili, aut jure communi scripto, et aliis derogatoriis clausulis.

« Contravenire audentes vel præsumentes dictæ prohibitioni incurrunt ex eadem bulla: I. Excommunicationem, si non sunt episcopi vel abbates; non est reservata. II. Episcopi vel abbates incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, sed non est reservatum. III. Si dicti episcopi vel abbates per sex menses insorduerint in interdicto hujusmodi, incurrunt suspensionem ab administratione Ecclesiarum seu monasteriorum in temporalibus et spiritualibus, sed non est reservata. IV. Capitula, conventus et aliæ universitates incurrunt interdictum. V. Singulares personæ etiam dictarum universitatum, et alii, etiam prælati, qui episcopi vel abbates non sunt, incurrunt privationem omnium officiorum quorum bona alienarunt, et privationem vocis activæ et passivæ, et pœnam inhabilitatis ad prædicta et alia obtinenda. (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 444.) »

ADNOTATIO XXIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XVIII, § II, n. 38; pag. 219.

DE PRETIO REMITTENDO CONDUCTORI OB STERILITATEM.

In cap. 3. *Propter*, hoc titulo, legitur: « Propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei sine culpa coloni seu casu fortuito contingente, colonis Ecclesiæ tuæ pro rata pensionis remissio est facienda, nisi cum ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari. »

« Hanc decretalem transcribo, inquit Giraldus, ut intelligatur quæ sterilitas attendenda sit ut locum habeat in praxi remissio seu condonatio annuæ pensionis, conductori facienda, hic a Pontifice præscripta. Discrepant quidem doctores in ea determinanda, in quatuor classes divisi; magis tamen recepta sententia, juxta Barbosam hic num. 3 et Azorium, part. III, lib. VIII, *de Locato*, cap. x, tenet eam esse judicandam quando ex fructibus perceptis non potest dimidia pars debitæ pensionis persolvi. (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 458.) »

ADNOTATIO XXIV.

Lib. III. Decretal. Tit. XVIII, § II, n. 51; pag. 221.

DE CONDUCTORE EXPELLENDO.

« Cum inter causas amovendi inquilinum a domo ei locata, a Pontifice cap. 3, *Propter*, hoc titulo,

assignatas, una sit, si distulerit solutionem canonis, id est, pensionis per biennium, nisi celeriter moram purgaverit, juxta praxim tribunalium hodie attenditur jus cæsareum, ita ut non expectandum sit biennium, sed statim expelli possit, si debito tempore pensionem non solverit. Quæ intelligenda sunt in contractu locationis et conductionis, in quo hodie ex praxi communiter recepta purgatio moræ non admittitur; secus est in contractu emphyteusis, ex benignitate Ecclesiæ, ad impediendam caducitatem purgatio moræ semper admittitur. (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 458.) »

ADNOTATIO XXV.

Lib. III. Decret. Tit. XIX. De rerum permutatione, n. 40; pag. 278.

DE PERMUTATIONE BENEFICIORUM.

« In decretali *Quæsitum*, cap. 4, huj. tit. declarat Pontifex permutantes beneficia auctoritate propria simoniam committere, non quidem juris naturalis sed ecclesiastici, cum non detur spirituale pro temporali. Huic accessit decretalis Pauli II, relata in cap. 2, *Cum delestabile*, inter extravag. comm. in qua contra taliter permutantes infligitur excommunicatio quæ, juxta communissimam theologorum et canonistarum opinionem, est latæ sententiæ et Papæ reservata.

« Circa facultatem, in hac et aliis decretalibus episcopo tributam admittendi beneficiorum permutationes, notanda sunt animadversa a Benedicto XIV, lib. XIII, cap. xxiv. *De Synodo diocesis*. n. 6 et 10, ibi: « Permutationes beneficiorum non complectitur bulla S. Pii V, quia, licet ipse in sua constit. XLII suspensam voluerit, quousque aliter statuisset, facultatem qua ordinarii gaudebant admittendi beneficiorum resignationes et permutationes; cum tamen subinde in sua constit. LVIII eandem suspensam facultatem ordinariis restitueret, de resignationibus ita locutus est ut opportiores quasdam novasque restrictiones et cautelas circa illas induxerit ac statuerit, et de permutationibus ita indefinite decrevit *ad hæc*, *beneficiorum et officiorum permutationes admittere quæ canonicis sanctionibus et apostolicis constitutionibus permittuntur.* »

« Complectitur Piana constitutio permutationes quæ mala fide ac fraudulenter coram ordinariis fiunt, quia S. Pontifex in eadem constit., ut supra dictum est, eas tantum permutationes admitti concedit quæ sint canonicis sanctionibus consonæ: quod perinde est ac dicere quæ respiciunt utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ, aut in quibus permutantium utilitas quodammodo in utilitatem vergat Ecclesiæ. Quapropter, si quæ permutentur beneficia valde disparis redditus, si is qui pinguis beneficium obtinet, profecta jam sit ætate ac infirma valetudine, illudque permutare velit cum beneficio tenuioris redditus, quod suus vel episcopi consanguineus obtinet; hujus-

» modi permutatio non est ad canonum normam exacta, quinimo dolosa est ideoque Piana constitutio adversatur. »

« Requiritur ulterius ex regula XXXV cancellariæ et altera ejusdem Pii constit. *Cogit nos*, 3 martii 1567, ac Gregor. XIII *Humano*, nonis januar. 1583, ut renuntiatio admissa publicetur in Ecclesia cathedrali.

« Hæc autem resignationes factæ extra curiam Romanam, etiam ex causa permutationis in manibus collatorum, ex cit. Gregor. constit. § VII admitti vel rejici debent intra mensem, et sic provisum tenentur eas publicare et beneficii possessionem capere intra tres menses a die factæ provisionis, sub pœna vacationis ipso facto promotionis et beneficii: provisum autem per resignationes et permutationes factas in manibus Papæ, tenentur sub eadem pœna ad dictam publicationem et possessionem intra sex menses citra montes, ultra intra novem a data concessionis gratiæ, non a die præstiti consensus, numerandos. Cf. Adnotationes XLI volum. primi, et LI volum. tertii. »

ADNOTATIO XXVII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXII, De fidejussoribus, § I, n. 36; pag. 327.

DE REGULARIBUS QUOAD FIDEJUSSIONEM.

« Ex decretali *Quod quibusdam*, cap. 4, hoc titulo, aperte constat quemquam ex regularibus pro aliquo fidejubere non posse, sine sui abbatis et majoris partis capituli licentia. An vero indiscriminatum hoc ei liceat, etiam cum tali licentia, distinguendum esse censeo. Vel enim agitur de fidejussione in re parva, raro facta, ac ex rationabili motivo, et tunc id ei licere cum dicta licentia tenet Pirhing, lib. III. decretal. Tit. XXII, n. 43, Reiffensuel, ibid. n. 35; vel agitur de fidejussione in re magna, vel etiam in parva sine rationabili motivo, tunc dicendum est non licere. Ratio primæ partis esse videtur quia abbatem et capitulum negari nequit facultas quandoque disponendi ex rationabili motivo de modica aliqua portione reddituum monasterii. Hanc enim facultatem iis competere clare colligitur ex cap. 3, *Ceterum*, *De donationibus*, quam etiam eisdem clare concedit Glossa in can. 52, *Sine exceptione*, caus. XXII, quæst. II. § *Quidquam donare*; eamque comprobatur praxis communiter admissa aliquid donandi benefactoribus ex gratitudine, distribuendi eleemosynas ex misericordia etc... quæ omnia eis licere, sive ea faciant per se, sive per aliquem religiosum doctores omnes consentiunt. Porro si abbas et capitulum possunt per religiosum, ex motivo rationabili, aliquid parvum donare, cur non et aliquando tantumdem fidejubere loco, doni? Et quidem est quid plus donatio rei importans actuale distractionem ejusdem quam fidejussio, importans merum distractionis periculum; fidejussor namque is est qui de alterius obligatione, interpo-

sita propriæ fidei cautione, securitatem præstat, § I, Instit. *De fidejuss.* et l. *Grave.* ff. eod. Ergo si primum possunt licite facere, a fortiori secundum, cum nullibi exceptum, vel etiam implicite prohibitum inveniatur, cum limitatione ut supra. Quia huic assertioni obstat extravag. *Ambitiosæ* prohibens, sub pœna excommunicationis, *omne pactum*; etenim per *ly omne pactum*, expressum tum in ea, tum in decreto Urbani VIII per extensum jam supra relatis, aperte venit pactum domini translativum, et quidem rei magnæ, quorum neutra verificatur in casu fidejussionis rei modicæ. Fidejussor enim licet obligationem contrahat satisfaciendi in defectum debitoris principalis, et sic incurrat periculum solvendi talem modicam summam, hujus tamen dominium retinet actualemque possessionem; in quo differt fidejussio ab alienatione, cujus proinde non est species et per consequens neque prohibita in dict. extravag. vel alibi: præcipue cum agatur de fidejussione rei modicæ, cujus nequidem alienatio sub illa comprehenditur, ut declaravit congreg. Concil. apud Fagnanum in cap. *Nulli*, n. 24, *De rebus Ecclesiæ non alienandis*, et Petram t. V, *Comment. ad extravag. sect. II*, n. 59, aliosque communiter ad can. *Terrulas*.

» Ratio secundæ partis est quia cum abbas et capitulum non sint domini, sed administratores rerum monasterii, tenentur ab hoc remove etiam periculum gravis damni, quod ex fidejussione rei magnæ, vel ex illius frequentia eidem impenderet. Experientia namque compertum est quod fidejussio est vigilia solutionis, Tartagl. *De reservat. statutor.* art. XLII, n. 3, ac proinde jure ac merito de fidejussoribus ac solutionibus rubricas proximas esse perbelle explicat Rota decis. CXLIII, n. 5 et 6, part. XVIII recent.

» Licet autem abbas et capitulum permittere possent fidejussionem rei modicæ ex aliqua rationabili causa, non posse tamen, hac deficiente, quia esset abusus et arrogatio potestatis quam non habent; votum siquidem paupertatis exigit ne quidquam etiam modicum frustra distrahatur.

» An autem incurrerent pœnas inflictas a præd. extravag. si impertirentur licentiam pro fidejussione in re magna, asserere non audeam, cum fidejussio non sit vere et proprie species alienationis in ea contenta. Peccarent tamen graviter, cum facerent contra votum paupertatis, nedum in casu quod satisfacerent in defectum debitoris, sed etiam ratione periculi satisfaciendi cui se exponerent. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 467.) »

ADNOTATIO XXVII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXIII, De solutionibus; § 1, n. 12; pag. 335.

DE CLERICO DEBITORE.

» In decretali *Odoardus*, cap. 3, hoc titulo, statutum est, ut clericus non habeat unde satisfacere pos-

sit suis creditoribus, nec excommunicari, nec aliter molestari debeat, sed idoneam cautionem duntaxat, saltem juratoriam, præstare de solvendo, cum venerit in pinguiorem fortunam.

» Quamvis in ea nullam faciat Pontifex de cessione honorum facta vel facienda a clerico, Glossa tamen hic vers. *Non valentem*, et doctores sentiunt dictam cessionem ab eodem fieri posse.

» Verum non oportet, ad effectum hoc beneficio fruendi, arctare eum ut bonis cedat, ne scilicet clericali statui ignominia irrogetur, juxta Abbatem in dicto cap. *Odoardus*, n. 8, Ancharan. n. 7, Fagnan. n. 58, *De solutionibus*, et Bellet. *Disquisit. clericorum*, part. I, § de clerico debitore, n. 35; ex quibus colligitur quod cessio honorum infamiam importet, non juxta hominum opinionem tantum, sed etiam juxta sensum Ecclesiæ.

» Nota I. Licet olim potuisse clericum pro debito civili excommunicari, si contumaciter restitisset decreto judicis de satisfaciendo, hodie tamen excommunicari nequit, nisi in subsidium, ob jus novissimum Tridentini cap. III, sess. XXV, quo, ita Fagnanus ad dict. cap. *Odoardus* n. 4, « mandatur » judicibus ecclesiasticis ut causis judicialibus, » quandocumque executio realis vel personalis in » qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis » fieri poterit, abstineant, tam in procedendo » quam definiendo, a censuris ecclesiasticis; sed » liceat eis, si expedire videbitur, in causis civili- » bus ad forum ecclesiasticum quomodolibet perti- » nentibus, contra quoscumque etiam laicos, per » captionem pignorum personarumque districtio- » nem procedere. Ponderanda enim sunt verba » illa, *contra quoscumque etiam laicos*, quæ aperte » ostendunt, etiam contra clericos, in causis civili- » bus utendum esse remedio executionis seu dis- » trictionis personalis; nec recurrendum esse ad » remedium hodie extraordinarium censurarum, » nisi in subsidium, videlicet ubi executio realis » vel personalis fieri non potest. »

» Nota II. Quod, quamvis cessio honorum facta fuerit absque ignominia, et absque eo quod cedens bonis pileum viridem aut aliud ignominia signum deportaverit, ideoque infamis dici nequeat, juxta Baldum ad textum in l. *Debitores*, Cod. *De quibus causis infamia irrogatur*; non est tamen ordinandus ob periculum quod bona post cessionem ipsi assignata, titulo patrimonii sacri, a creditoribus occupentur. Per cessionem enim honorum quis minime liberatur ab ære alieno, si ad pinguiorem fortunam devenerit; cum, juxta textum in cap. *Pervenit, De fidejussoribus*, a creditoribus, ex defectu honorum propriorum clerici, occupari possint nedum fructus patrimonii sed etiam beneficii et præbendæ, relicta tamen congrua, ut his innixa rationibus resolvit Conc. congreg. 23 junii 1725, in *Adrien*, ut in Thesaurio resolut. ejusd. Congregationis. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 469.) »

ADNOTATIO XXVIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXIV, De donationibus, § II, n. 49; pag. 358.

DE SUBSIDIIS IN GRATIAM REI PUBLICÆ A CLERO GALLIARUM OLIM CONCESSIS.

» In communibus reipublicæ utilitatibus et necessitatibus, ait D. Maupied, possunt episcopi cum clero laicis præbere subsidia voluntaria, de prævio tamen Romani Pontificis consensu, textu expresso in cap. *Non minus 4*, et in cap. *Adversus 7*, Tit. XLIX *De immunit.* lib. III decretalium. Sic, verbi gratia, possunt voluntarie tributa solvere causa belli, pestis et hujusmodi; pro novis muris edificandis, pro excavatione alveorum et fovearum, refectione pontium, reparatione fluminum, pro introducenda aqua in civitate, pro excavatione faciendi canalibus et similibus, ut in variis sacræ Congregat. Immunitat. decretis habetur.

» Ut autem clerici licite solvant has collectas et impositiones laicorum, sex requiruntur de jure cap. *Non minus*, et cap. *Adversus* citatis. I. Requiritur ut episcopus simul et clerus super hoc deliberent et consentiant; hoc non potest episcopus sine clero, nec clerus sine episcopo, textu expresso *episcopus simul cum clericis*. Quo fit ut nec cum capitulo episcopus id possit, quia, in re tangente totum clerum, non sufficit quod episcopus habeat consensum sui capituli, sed requiritur quod interveniat consensus cleri, ut colligitur ex clement. 1 et 2 *De censibus*. II. Requiritur ut evidens utilitas vel necessitas subsit de quibus spectat ad episcopum et clerum judicare. III. Ut hujusmodi necessitas vel utilitas sit communis, scilicet tam laicorum quam clericorum. IV. Ut ad solvendas communes utilitates vel necessitates non sufficiant solæ facultates laicorum. V. Ut contributio ab episcopis et clero fiat sponte et sine aliqua exactione vel compulsione laicorum. VI. Requiritur ut Romanus Pontifex prius consulatur. (*Jur. canonici compendium*, tom. II, col. 54; Migne, 1861.) »

Olim non videntur semper adimpletæ conditiones illæ, quando clerus Galliarum decimas super bonis ecclesiasticis impositas principi solvebat. Equidem, anno 1516, Leo PP. X Francisco I concesserat decimam ad annum tantum pro bello Turcis inferendo, et tunc per singula beneficia taxationes legitime descriptæ fuerunt; sed ab hoc tempore decimas quotannis exactæ sunt, licet a diebus Henrici II, qui anno 1557 officia collectorum decimarum aliorumque denariorum casualium in qualibet episcopali civitate instituit, nomine *doni gratuiti* subsidia predicta fuerint vestita. Postea decimæ jam impositæ vocatæ fuerunt *ordinariæ*, et interdum clerus alias erogavit quæ dicebantur *extraordinariæ*. Anno 1628, Urbanus VIII clerus Galliarum est adhortatus ut Ludovico XIII subsidium tribueret, obsidionis Ruppellensis civitatis causa, quod tricies centum libra-

rum millibus (3,000,000) conflatum existit. Jam anno 1563, Pius IV indulserat clero facultatem alienandi bona ecclesiastica ad valorem centum millium scutorum aureorum redditus annui, juxta edictum a Carolo IX prolatum. Alias Summorum Pontificum concessionem ea de re in annalibus nostris non invenimus. Cf. *Discipline de l'Eglise de France*, Parisiis, 1780; in 4^o col. 630 et seqq. DD. André, *Cours alphabétique de droit canon*, tertia edit. Parisiis 1860, verbo *Immunité*.

ADNOTATIO XXIX.

Lib. III. Decretal. Tit. XXV, De peculio clericorum § III, n. 84; pag. 382.

DE MELIORATIONIBUS PER BENEFICIATUM FACTIS IN REBUS ECCLESIAE SUÆ.

Plane silet auctor noster de meliorationibus quas beneficiati faciunt in bonis ecclesiasticis ad suum titulum pertinentibus. Sic se habet cap. 5, hoc titulo, ibi: « Si quis sane clericorum agella vel vineolas in terra Ecclesiæ sibi fecisse probabitur sustentandæ vitæ causa, usque ad diem obitus sui possideat; verum post suum decessum Ecclesiæ restituat, nec testamentario aut successorio jure cuiquam hæredum pro hæredumve relinquat, nisi forsitan cui episcopus pro servitiis ac præstatione Ecclesiæ largiri voluerit. » Porro capitis prædicti rubrica est: « Meliorationes factæ per prælatum in rebus Ecclesiæ sunt suæ in vita, etiamsi dimittat beneficium, sed de his testari non potest: h. d. secundum intellectum satis notabilem. »

« Juris canonici interpretes, inquit Giraldus hoc capite, hanc decretalem sumunt juxta triplicem illius intellectum. I. Possessiones emptas ex redditibus Ecclesiæ tenebit beneficiatus, de his tamen testari non poterit, ita Innocentius. II. Res Ecclesiæ ad culturam redactæ non efficiuntur propriæ culturantibus, sed eas usque ad vitam tenere potest, ita Antonius de Butrio. III. Meliorationes factæ per beneficiatum in rebus Ecclesiæ sunt suæ in vita, etiamsi dimittat beneficium, ita Cardinalis, additque hanc interpretationem esse communiorum.

» Verum cum melioramenta, seu emponemata cedant solo, et beneficia sine diminutione aut divisione conferri debeant, crederem hunc tertium intellectum, quoad perceptionem fructus eorumdem melioramentorum, in casu dimissionis beneficii, hodie locum in praxi habere non posse, et, eadem ratione, nec facultatem hic tributam episcopo dictum fructum largiendi alteri pro servitiis Ecclesiæ præstitis, vel eas meliorationes assignandi alicui clerico pro beneficio quoadusque vixerit, ut putat Glossa verbo *pro servitiis*.

» Quod autem beneficiatus de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis testari nequeat, quemadmodum in hac decretali, aliisque quampluribus interdictum legitur, in viridi quidem est observantia, ubi non viget contraria consuetudo, ut notabo sequenti titulo

ad cap. 4, *Quorundam*, ubi etiam de iis qui ex privilegio testari possunt. (*Exposit. jur. possit. part. I, sect. 474*) »

ADNOTATIO XXX.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVI, De Testamentis et ultimis voluntatibus, § V, n. 135; pag. 415.

DE PRÆSENTIA PAROCHI IN TESTAMENTIS.

Ex *Institut. CV Benedicti XIV* illa quæ sequuntur deponimus: « In decretali *Cum esses*, hoc titulo, Alexander III ita statuit: « Testamenta, quæ parochiani coram presbytero suo (id est parochia) et tribus vel duobus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere. » In altera decretali *Relatum*, idem Pontifex testamenta coram duobus vel tribus testibus jure condita esse declarat. « Tribus aut duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est: *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* »

« In prima decretali Pontifex præsentem parochum exposcit « coram presbytero » suo, in altera *Relatum*, parochum haud nominat. In prima tres saltem, nempe parochum ac duos testes requirit; in secunda vero duos testes satis esse constituit. Quare inter has decretales repugnantia intercedere videtur quæ tamen evanescit penitus, si quis advertat in decretali, *Cum esses*, sermonem haberi de testamentis peractis non ad pias causas, sed ad profanas; in decretali autem *Relatum*, verba fieri de testamentis ad causas pias solum spectantibus... Nos igitur testamenta præterimus quæ ad pias causas instituuntur...

« Cum hæc ita se habeant, et cum decretalis *Cum esses* parochum nominet: « Coram presbytero suo, » inquiritur utrum testamentum coram capellano parochi aut confessario testatoris conditum jure existimari debeat; quidve deliberandum videatur, si præsto haud fuerint nec parochus, nec capellanus, neque testatoris confessarius. Cum in eadem pariter decretali duo vel tres idonei testes exprimantur: « et tribus vel duobus aliis personis idoneis, » nova quæstio in medium profertur, an mulieres ipsæ in testamentis ejusmodi possint acciri testes. Postremo, cum ultimam voluntatem eadem decretalis memoret: « in extrema fecerint voluntate, » in quæstionem adducitur an testamentum eo modo quo diximus confectum vim habeat, si testator animo et corpore bene valeat, aut si morbo aliquo teneatur, nullum tamen mortis periculum imminet. »

Hæc sufficiant, cum agatur de rebus hisce temporibus et regionibus nostris ad praxim minime deducendis. Si quis velit responsiones eruditissimi Pontificis cognoscere, adeat opus ipsiusmet eximium *Institut. Ecclesiast. institut. CV. n. 7. et seqq.*

ADNOTATIO XXXI.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVI, § VI n. 179, pag. 423.

DE PORTIONE CANONICA EPISCOPO DERICTA EX BONIS RELICTIS ECCLESIE VEL ALII LOCO PIO.

« In decretali *Officii*, sicut et in altera relata cap. 15, *Requisisti*, hoc titulo, agitur de portione canonica, seu quarta episcopali, debita episcopo lege diocesana ex bonis per ultimam voluntatem relictis ecclesie vel alii loco pio. Cum autem causa hujus portiois episcopo assignandæ initio fuerit inopia episcopatum, hique postea melius dotati et ditati fuerint, hodie in omnibus fere diocesisibus contraria consuetudine eadem hæc portio sublata est, ut probant Navarr, ad hoc idem cap. n. 14. Beiffenstuel tit. *De sepulturis*, § 13. n. 64. et Remigius Maschat, eod. tit. n. 18.

« Si vero alicubi adhuc vigeat, ejus quantitas metiendæ est juxta locorum consuetudinem; eam tamen ex communiori sententia non tenentur solvere loca pia et monasteria exempta, utpote immunita a lege diocesana; auctores laudati loc. cit.

« Nec itidem debetur tam episcopo quam parochia ex aliis legatis Ecclesie relictis, enumeratis in sequenti Gregorii IX decretali, relata hoc eod. titulo cap. 20. quæ ad declarationem harum duarum præcedentium emanata est, ibi: « De his quæ in ornamentis vel pro eis seu fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis, ad perpetuum cultum divinum legantur Ecclesiis vel reliquis piis locis, canonica portio, dummodo in fraudem non fiat ut ea episcopus seu parochialis Ecclesia debeat defraudari, deduci non debet. » (*Giraldus, Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 481.*)

ADNOTATIO XXXII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVI, § X, n. 325; pag. 452.

QUID DE BONIS PEREGRINORUM IN NOSOCOMIIS DECEDENTIUM?

« Est hic notandum quod bona peregrinorum in nosocomiis decedentium, si fieri potest, tradenda sint hæredibus ab intestato succedentibus, secus per episcoporum in pias causas eroganda, et, si hospes aliquid ex iis surripuerit, triplum restituere teneatur episcopo, Auth. *Omnes peregrini*. C. comm. de success. quam approbavit etiam Honorius III, constit. *Has leges*, an. 1220, prop. I in ordine apud Bullar. Cherub.

« Circa bona in dictis nosocomiis decedentium, sive condito sive non testamento, sive ad causas profanas sive pias, non inutile erit pro praxi sub oculos habere sequentia Congr. Conc. responsa ad dubia in *Pragen. facultatis testandi*, 8 maii 1683,

ADNOTATIO XXXIV.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVI, § XI. n. 356; pag. 459.

DE TESTAMENTIS CLERICORUM DE BONIS ECCLESIE.

« In decretali *Quorundam*, hoc titulo, docet Giraldus, statuitur episcopum testari posse de bonis patrimonialibus, non vero de rebus Ecclesie vel de acquisitis illius intuitu, quemadmodum id etiam prohibitum legitur a Justiniano in l. XLII, § II. *De episcop. et cleric.*

« Hoc quidem de jure communi quod vixit usque ad sæculum XII, usque nempe ad concilium Lateranense III, habitum sub Alexandro III, ut ex cap. 7, hoc titulo. Secus autem de consuetudine, in aliquibus regnis jam incepta ac publice et notorie observata usque ab anno 1284, potissimum in Gallia; in qua tam episcopi quam cæteri quicumque beneficiati, inter vivos vel causa mortis, libere de bonis etiam intuitu ecclesie acquisitis testantur, quibus sine testamento decedentibus succedunt hæredes necessarii, ut refert Cabassutius, *Jur. canon. lib. II, cap. xxvi*, et Van-Espen part. II, tit. XXXII, a num. 14 ad 25. Quam quidem consuetudinem validam esse, utpote derogatoriam juri duntaxat positivo ecclesiastico, probat Fagnanus in cap. 5. *Si quis, De peculio clericorum*, n. 2, et post ipsum laudatus Cabassutius loc. cit. n. 7.

« Quamvis autem vi consuetudinis, ubi vigeat, ita animadvertit Van-Espen, loc. cit. n. 32, testamenta clericorum de proventibus ecclesiasticis in usus profanos, aut in favorem consanguineorum non indigentium, minime reprobentur nec declarentur invalida « in foro consentioso propter odia libertatis, sed non eximunt ipsos disponentes ab iniustitia, dum proventus ecclesiasticos simili modo dispensant contra intentionem offerentium » et naturam ipsorum bonorum. Igitur canones, in quantum vetant de proventibus ecclesiasticis disponi in usus profanos, vel ad ditandos parentes insumi, *absit ut etiamnum non obligent*, ait Christianus Lupus, II *Schol. in canones* pag. 484, additque: *Nemo se seducat, Deus non irridetur.* »

« Quod si, juxta benigniorem sententiam, negetur sic disponentes peccare contra justitiam, non inde sequitur immunes esse a mortali culpa, ut cum communi theologorum respondet ad sequens dubium quod sibimet proposuit Cabassutius num. 8: « An igitur peccent hæredes, dum oblato sibi, sive jure consuetudinis ab intestato, sive ex beneficiarii testamento fructus istius modi recipiant? Respondeo, si ipsi testatorem ad hoc induxerint, non est dubium peccasse, dum rem suaserunt illicitam quam ille testator sine mortali culpa exequi non potuit. Sed si iidem sponte oblata recipiunt, ante trecentos et amplius annos consuetudine constanti observabantur canonici qui vetant clericis de bonis ex beneficiis acquisi-

inter fratres servorum B. Marie Virginis Pragæ et sancti Joannis de Deo, prætendentes, vigore asportorum privilegiorum atque consuetudinis, bonamorientium in ipsorum nosocomiis et apud morientes reperta eorundem nosocomiorum commodo cedere debere.

« I. An aliquis decedens in hospitali fratrum misericordie ordinis B. Joannis de Deo, qui in eodem hospitali prius asportaverat pecunias et alia mobilia, possit de iis pecuniis et mobilibus asportatis disponere per testamentum, ita ut dicti fratres teneantur tradere dictas pecunias et mobilia pro adimplenda voluntate defuncti; maxime si dispositio testatoris fuerit ad pias causas, et cum onere missarum? et quatenus affirmative.

« II. An idem dicendum sit, casu quo dispositio non fuerit ad pias causas?

« III. An aliquo decedente in dicto hospitali, nullo condito testamento, ejus substantia ibi asportata cedat totaliter hospitali, exclusis omnibus sanguine conjunctis; præsertim si hospitale de reliquo servetur indemne?

« Sacra Congregatio respondit ad I et II affirmative, etiam de consensu partium; ad III negative, nisi constet de contraria consuetudine legitime præscripta.

« Agebatur hic de pecunia et mobilibus pretiosis secum ad dictum nosocomium asportatis ab Antonio Ebertino Perusino, quæ morti proximis ibidem testamento legavit diversis personis, et signanter ungaricos centum præfatis fratribus servorum eum onere missarum. (*Giraldus, Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 482.*) »

ADNOTATIO XXXIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVI, § XI, n. 329; pag. 453.

AN LICEAT CANONICIS TESTARI DE BONIS INTUITU ECCLESIE ACQUISITIS?

« In decretali *Cum in officiis*, hoc titulo, statuitur clericos de bonis intuitu Ecclesie acquisitis testari non posse. Quia vero dubitatum fuit an appellatio vocabuli clericorum tam ad canonicos quam ad non canonicos extendatur, Alexander III respondit episcopo Altissiodorensi comprehendit etiam canonicos, ut ex ejus decretali relata cap. 13, hoc eod. titulo.

« Rursus cum exortum fuerit et hoc aliud dubium an hujusmodi prohibitio se etiam extendat ad bona mobilia, laudatus Alexander, rescribens Vigitiensi episcopo, declaravit comprehendit, ut ex altera ejusdem decretali relata hoc tit. cap. 9. Quod etiam clarius declaravit, rescribens electo Cassanensi ejusque capitulo, ut ex decretali relata hoc tit. cap. 12. (*Giraldus, Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 478.*) »